



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Qvot Svnt Gradvs Christianæ libertatis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

CERTIS SIMVM sic autem, efficaciam harum consolationum experiri conuersos ad Deum in uera inuocatione, ita dictum: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Item: Petite, & accipietis. Item: Facit alienum opus, & faciat opus propriam.

DE CHRISTIANA LIBERTATE.

QVOT SVNT GRADVS

Christiane libertatis?

DOCENDI causa gradus distinguimus, & primum de nomine monemus. Cum Ecclesia in hac uita adhuc circumferat peccata, & sit subiecta morti & cruci, & affligatur a Diabolis, tyrannis, & inimicis hominibus, & in imperijs oppressa sit tristi seruitute, uideri Ecclesia falso & stulte hanc gloriosam appellationem libertatis sibi tribuere. SED intuenda est primum consummata libertas, quam post resurrectionem Deus erit omnia in omnibus saluatis, id est, cum Ecclesia uiuet uita aeterna, & fulgebit in ea Deus ipse, communicans suam lucem, sapientiam, iustitiam, laeticiam aeternam, sine peccato, sine morte, sine ullis calamitatibus.

HANC consummatam libertatem intuentes intelligemus utcumque, hoc uocabulo magna de uera bona significari. Sed tamen incoari haec aeterna bona in hac mortali uita oportet. Et de incoatione & consummatione dictum est Ioan. 8. Si uos filius liberauerit, uere liberi eritis. LIBERTAS

autem filius Dei dupliciter: Merito & efficacia. Hinc sunt quotus gradus libertatis in hac uita. 1. Primus est gratia, id est, liberatio a lege, & a condemnatione aeterna, quod uidelicet certo daturus reconcilio peccatorum, reconciliatio, imputatio iusticiae propter misericordiam, gratis fide, qua fit uiuificatio & liberatio ab aeterna morte, & donatur haereditas uitae aeternae.

2. Secundus gradus est cum proprie coniunctus, uidelicet: Donum per gratiam, id est, filij effusio in credentibus per Euangelium, & per Spiritum sanctum, quae efficacia est uiuificatio, id est, consolatio & incoatio uitae aeternae, ita hoc dictum: Haec est uita aeterna, ut agnoscant te Deum uerum, & quem misisti Iesum esse Christum.

EST & incoatio nouae obedientiae, & Deus praesens per filium & Spiritum sanctum mirabiliter regit, seruat & defendit Ecclesiam, & mitigat calamitates. Vt: Haec gradu libertatis liberi sunt tres uiri in fornace Babylonica, qui essent in medijs flammis, tamen non uruntur. Sic semper Ecclesia mirabiliter inter medias flammis seruatur.

HIC duo gradus comprehenduntur his dictis: Gratia & ueritas per Iesum Christum facta est, id est, reconciliatio, & uera ac aeterna bona. Item Roman. 17. Gratia Dei, & donum per gratiam Iesu Christi in uita aeterna

haberant. **III.** Tertius gradus, ut docendi gratia non subter loquamur, est liberatio à ceremonijs & forensicis legibus Moyfi. Quod sic intelligatur: Cum iusticia, de qua proprie concionatur Evangelium, sit remissio peccatorum, & reconciliatio cum Deo, & consummata nouitas, quam in hac uita incoari oportet, sit ipsa æterna uita, in qua Deus erit omnia in omnibus, & colligatur Ecclesia ex omnibus gentibus, non sunt alligati Christiani ad ullius gentis politiam: Sed possunt uti imperijs & legibus politicis, non pugnantibus cum naturali ratione, ubicunque uiuunt, Sicut spatijs dierum dissimilibus utuntur Christiani Venerijs & in Saxonia.

INGENS beneficium Dei fuit, quod Ecclesiæ certam sedem dedit in politia Moyfi annos mille quingentos octuaginta duos. Et ut hæc politia distincta esset à gentibus, certos ritus habuit: Quia Deus uoluit notum esse locum, & notam gentem, ubi nasceretur, conspiceretur, & audiretur Messias. **INTEREA** tamen ualde multitudine ex gentibus uocati fuerunt ad agnitionem mediatoris, & ad æternam iusticiam, ut Nabuchodonosor, Cyrus, Cornelius, & alij. Hi intellexerunt aliud esse politiam Moyfi, aliud reconciliationem & æternam lucem, & iusticiam in mente & corde.

HOC discrimen intelligi necesse est, quia semper fuerunt fanatici homines, qui stulte uociferati sunt: Forenses leges Moyfi, quæ tamen non sunt iuris naturalis, sed politici, nobis necessarias esse. Et multæ sunt impiæ

Leges Pontificum & Monachorum de ceremonijs. Ut, in Moyse prohibita sunt quidam cibi, Postea igitur similes prohibitiones humana temeritate instituta sunt. **HIC** negenda est consequentia: Quia tunc uoluit Deus politiam Moyfi distinctam esse à ceteris gentibus, ut esset certus & notus locus, & certa & nota gens, ubi nasceretur mediator ubi ederetur testimonia de promissione, &c. Postea politia illa horribili exemplo propter multas causas deleta est. Et quantum saepe tentata est restitutio, tamen Deus seditiones Iudæorum & nouas ædificationes oppressit. Ut, Bethoron triennio obsessa tandem à Adriano expugnata & deleta est, & interfectus est Ben, Cosban, Kochab. Tempore Iuliani terramotu dissecta sunt fundamenta noui templi, quod tunc ceperant ædificare, & simul multa millia Iudæorum ruinis oppressa sunt. Hæc alibi copiosius declarantur.

III Gradus libertatis est liberatio à traditionibus humanis in Ecclesia, uidelicet primum, quod nulli creaturæ liceat instituire cultus Dei, aut aliquam legem contrariam legi diuinæ condere. **SECUNDO**, Etiam in hac uita, cum uelit Deus honestos congressus publicos esse, opus est ordine temporum & lectionum, & Ecclesiæ concessum est, tempora & lectiones distinguere: tamen hoc fiat sine opinione cultus, & sine opinione Necessitatis, & sciant homines, extra

casum scandali tales ritus sine peccato omitti. **H**æc regula breuissime tollit multas falsas opiniones de humanis traditionibus, quæ & obscurant Euangelium de gratia, & de veris cultibus, & sunt periculosa carnificina conscientiarum, ut alibi copiosius dicetur.

TESTIMONIA autem regulæ sint in conspectu. Hæc prohibent opinionem cultus: Matth. 17. Frustra me colunt mandatis hominum. Et Ezechiel 20. In præceptis meis ambulare, non in præceptis patrum vestrorum, &c.

His dictis expresse prohibetur opinio necessitatis. Colossenses 2. Nemo nos iudicet in cibo, potu, vicibus dierum festorum, &c. Et Galat. 5. In libertate, in qua Christus uos uocauit, stare, & non iterum iugo seruitutis subiciamini. Nec condendæ nec intelligendæ sunt traditiones contra hanc doctrinam in Euangelio traditam.

C O N T R A.

Non minus debetur oboedientia Ecclesiæ, quam potestati politicæ,

Violatio politicarum legum est peccatum. Roma. 13. Necessè est obedire, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam,

Ergo & violatio traditionum humanarum in Ecclesiâ, est peccatum.

RESPONDEO primum ad maiorem: Ministerio Euangelii debetur oboedientia, quatenus est ministerium Euangelij, non ut alij doctrinis aut legibus extra Euangelium. Quia ministerium Euangelicum non habet potestatem condendi alias leges. Nec habet prohibitionem. Sed potestas politica habet duo mandata. Primum proponendi legem diuinam Moralem, & exequendi penas. Alterum, obediendi ius positiuum, id est, determinationes circumstantiarum, sed non pugnantes cum legibus diuinis, quæ ad nos pertinent.

RESPONDENDVM est etiam ad minorem. Dissimile est Violatio legum politicarum est peccatum, quia hoc ira diuinorum factum est. Vult enim Deus corporalem vitam regi legibus Magistratum, & habere eos potestatem condendi aliquas leges.

CONTRA vero expresse sancitum est in Euangelio, ne existimetur esse peccatum, violatio rituum, qui sunt ordinati ab Episcopis seu Pastoribus. Quia vult Deus Ecclesiam tantum suo verbo regi, quo refulget iusticia & vita æterna. Non vult addi humanas traditiones. Quæ semper in mundo creuerunt idola, cum hac persuasione hominum animi fascinati fuerunt, humanos ritus esse cultus, & esse res necessarias.